nioſa oſtenditur argumentatione. Auguſtinenſem autem Textum haud ad literam, & ſuperſtitioſa quadam Grammaticorum lege, ſed juxtà morem, & libertatem hominis Philoſophantis enucleamus, qui non hominum placita, & intentionem, ſed nudam inquirit veritatem. Hinc ſatis eſt Auguſtini mentem aperire, eiuſque cogitata pro viribus conſolidare. Secunda deinde ſuccedit Pars, in qua quidquid in Libro X. de Trinitate ab Auguſtino acutiſſimè, & fortunato eventu de Mentis noſtræ natura detecta ſunt, explanamus, duplici quidem ratione; Primò enim enucleatius, & copioſiùs, quæ Auguſtinus edocet, aperimus, mox ejus mentem, ſe ipſam ſevera, & admiranda Analyſi inveſtigantem exhibemus, qua profunda ſanè diſquiſitione, veluti ſponte ſua ignorantiæ caligine diſſipata, ſibi ipſi confeſtim innoteſcit Animus. In tertia poſtmodum noſter hùc tendit labor, ut difficillimum, perobſcurum, ac penè divino ingenio elaboratum Opus Auguſtini de Animæ immortalitate, acri & intento animo declaremus, ubi pro re nata, apparatu noſtro præmiſſo, Epicurus pro Animæ Mortalitate certans validiſſimè refellitur, & oppugnatur.

Iudicioſe Lector, ſi ea, quæ in hiſce Commentariis, & Diſſertationibus a nobis expoſita, & concinnata fuere, Chriſtianę Sapientiæ excolendæ, vero detegendo, erroribuſque profligandis proficere cenſueris; aliud quam primùm evulgabimus Opus noſtras complectens inveſtigationes, quibus, Auguſtino duce, Ratione prælucente, Deus, Anima, & Univerſa Natura, nova quadam & extricata methodo explorantur.